



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

§. 1. In genere.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79340](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79340)

citius corruunt, quæ sublimia sunt. S. Hieron. in Dan. 3.

DEus se hominibus subdit; & tu dominari gestens hominibus, tuo te præponis Auctori? S. Bernardus hom. 1. sup. Missus.

Homo natus ad laborem, non ad honorem. S. Bernardus l. 1. de Confid. ad Eugenium.

Magnum quid est, docere; verum discere, periculo caret. Cur te Pastorem facis, cum sis ovis? cur caput vis fieri, cum pes sis? cur imperatori fungî munere conaris, cum sis in ordine militum? S. Gregor. Naz. orat. 7.

Qui tunc a Judæis cæsus est, nunc etiam falsorum Christianorum blasphemis cæditur: colaphis verò cæditur ab his, qui ei honores suos præferunt. V. Beda l. 4. in Math. 26.

Quid est tempestas culminis, nisi tempestas mentis? S. Gregor. 1. p. past. c. 9.

Blandum nomen honos, mala servitus. S. Paulinus ep. ad Romanianum.

Cogitet, qui honorem affectat, tempestatem se affectare. Philo lib. de Joseph.

Cupienti animo nihil gravæ ambitioso difficile: deoque ambitio est quadam firmia charitatis. Charitas enim patiens est pro æternis; ambitio omnia patitur pro caducis: charitas benigna est pauperibus; ambitio divitibus: utraque omnia credit, omnia sperat; sed longè dissimili modò: hæc ad gloriam hujus vitæ; illa ad gloriam finè sine. Petrus Bles. ep. 14. ad Sacellanos aulicos regis Anglorum.

Vide, Dignitates, Honores.

TITULUS X.

AMICITIA.

Sive

AMICI.

§. I.

In genere.

Speculum est imago amicitiae: sicut enim imago in speculo apparens, per omnia se accommodat objecto. v. g. si intuens speculum rideat, moveat caput, &c. illico imago speculi pariter ridere &c. videtur: sic amicus amico per omnia se accommodat; ut, quod ille vult, vel non vult, hic pariter velit, aut nolit. Eadem velle, & eadem nolle, ea demum firma amicitia est. S. Hieronym. ep. 8. ad Demetriadem. Cornelius in Eccl. 12. 10.

Tunc amicitia cognoscitur esse vera; si sit utriusque dilecti mutuâ familiaritate conjuncta; si secretorum omnium conscia; si ab eodem velle, & nolle, non dissona. S. Bonaventura serm. 18. de S. Joan. In vera amicitia est cor unum, & anima una; sed in una, eademque animâ voluntas est una, & à seipsâ non dissona, non contraria, non diversa. Idem ibidem. Consuetudo inter se duos non finit esse duos; sed unum ambos efficit. S. Chrysost. hom. 18. in 1. Cor. 6.

Hæc est amicitia: eum qui diligit; & eum, qui diligitur; non amplius esse duos divisos, sed unum esse hominem: quod quidem non ex alio fit, sed ex charitate. S. Chrysost. in 1. Cor. 6. hom. 13.

Duo animi se mutuò diligentes, duo sunt specula viva: & quod est in uno, resultat in altero; & quod in altero, resultat in uno: & iterum resultat in altero; si ad invicem apponantur. Simon Cass. lib. 16. institut. Chr. cap. 6. ad initium.

§. II.

Amicis omnia communia.

Veni ad Dilectus meus in hortum suum.
Cant. 5. 1. Propterea in hortum suum vocatur sponsus à sponsa, ad suos fructus edendos: ut ostendat; nihil inter se habere disjunctum, nihil separam, nihil dissonum; instar unius paris sanctissimi amicorum. Philo Carpath. hic.

Nihil mihi profuit, ultimos hausisse anheli-tus, nihil status inspirasse in os morienti: putabam enim, quòd aut tuam mortem ipse susciperem, aut meam vitam in te ipse transfunderem. Stringebam quidem brachia; sed jam perdideram, quem tenebam; & extremum spiritum ore legebam, ut consortium mortis haurirem. Quid mihi unquam jucundum, quod non esset ex te profectum? quid unquam mihi sine te; aut tibi unquam sine me, voluptati fuit? Quis non usus nobis, & propè visus ipse, somnulusque, communis? quæ discreta unquam voluntas? quòd non commune vestigium? ferè ut, cum gradum tollerem, vel tu mecum; vel ego tecum; corpus viderer attollere. Quòd si aliquando sine alterò prodeundum fuit; intellectum latus putares, affectum vultum cerne-res, moestum animum indicares: suspecta omnibus solitudo metum alicujus ægritudinis afferebat. Ità novum videbatur omnibus, nos dividi. At verò, ubi ambobus prodeundum fuit, non plura in itinere vestigia, quam verba; nec incessus, quam sermo, crebrior; nec ambulandi curâ, sed colloquendi gratiâ. Uterque enim nostrum ex alterius ore pendebat: non intentò aspectu legere iter; sed mutuò sollicitos excipere sermones; haurire oculorum gratiam, spirare fraternæ imaginis voluptatem. S. Ambros. in excessu fratris Satyri.

Quæ